



Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita P. Iacobi Laynis Secundi Societatis Iesv Generalis
Alphonsi item Salmeronis Vnius in primis decem Socijs**

Ribadeneyra, Pedro de

Coloniae Agrippinae, 1604

Exequiae, & iusta Layni, etiam ab exteris persoluta. Cap. 14.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11740

*Exequia, iustaq; LAYNI etiam ab
exteris persoluta.*

CAP. XIV.

Nec Romæ solum funus hono-
rificè elatum, sed ad omnes o-
mnium prouinciarū socios mors per-
tinens flebilis fuit, quod communem
parentem amissum dolerent. nec so-
cios tantū dolor tangebat, exteri etiā
pro veteri quæ cum illo fuerat neces-
situdine, luxerunt, exequiasque cura-
runt. In his duo ceteris antecellere
visi. Pr̄f̄sul alter, alter verò Marchio.
Otho enim Truchsius Cardinalis, &
Augustanus Episcop. Dilīngæ, socijs
attributo Collegio, acceptoqué tristis
de L A Y N I S mortenuncio, eo se
contulit è vestigio, ut consolationem
socijs pr̄sens afferret: parataret item
iustaq; persolueret, cum socijs in tri-
clinio domestica frugalique mensa
contentus accubuit. Postridie eius
diei in templo cenotaphiū positum,
non atra, pullaq; veste, sed purpurea
tegendum mandauit: quod gratulan-
dum sit, morte obita, pr̄dicaret, qui

K 3 his

his vitæ miserijs liber ad cœlū eu-
lasset; nos contra deplorandos, qui
in hoc exilio versamur existimabat;
nostram quoq; sortem lugēdam, qui
& parentem, & Ecclesiæ propugna-
torem amisissimus. Sacris hinc fune-
ralibus ab eo solemni ritu peractis:
surrexit mox orator, qui profunere
L A Y N E M de more laudauit: Verū
quod non omnia, tam angustis horæ
spatijs complexus esset, subiecit Car-
dinalis, duo, & quidem præcipua in
Laynis laudatione prætermissa vide-
ri, quæ silentio præterire, conscius
ipse & familiaris, salua religione nō
posset. In primis Cardinalis digni-
tatem oblatam serio fugisse L A Y-
N E M, qua in re deprecanda, sua esset
apud Paulum i v. Pontificem Max.
opera usus. quo iam fato functo il-
lud accedit memorabile, duodecim
suffragia Cardinalium, ad summum
sacerdotem, nec opinantem, & ab-
sentem L A Y N E M tulisse: vocatū ea
gratia se auctore in conclave, fugaq;
se proripiisse, ne, quod nollet, Ponti-
fex renūciaretur. Deniq; floccifacere
solitum,

solutum, hæreticorum oblatrantium
calumnias, conuitia, & blasphemias,
qua erat animi celsitudine, & Ecclesiæ
zelo præditus. Alter verò Franciscus
Mendozus, Marchio Almazanius,
(quæ patria L A Y N I S fuit) honestan-
dum, & apud suos funus duxit, quod
talem tantumq; ciuē patria amisisset.
Vir erat præstanti iudicio, Philippi
Catholici Regis nomine legatione
annos aliquot apud Cæsarē functus,
& Prætor Nauarræ, Senatusque regij
Ordinum Præses: cenotaphium, &
ille in ditionis suæ æde summa, atq;
adeo in tumulo maiorum suorū ere-
xit: accitis vndiq; sacerdotib⁹, & pijs
viris, non secus, atque si ad illum di-
tio pertineret, quod tali ciue meritō
gloriaretur (Patriam enim ciuis, &
contra ciuem patria illustrare con-
suevit) propterea quod societatem
L A Y N E S, quam singulari studio,
benevolentiaque complecteretur,
illustrasset, Tridentinamq; Synodum
præsens ornasset, omnemq; adeo ter-
rarum orbem vitæ innocentia, inge-
nio, doctrinaque impleisset.

K 4 Corpœ